Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1180
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



De fabulatore regis

regem et suum accidit fabulatorem Discipulus. Quid
care magister. quid tandem accidit Magister Rex qui-
dam habuit fabulatorem. qui singulis noctibus quinque
fabulas sibi narrare consueverat Contingit quod
rex tandem quibusdam curis sollicitus. minime potuit
dormire. pluresque solito quesivit audire fabulas
Ille autem tres super hoc narravit sed parvas Quesi-
vit etiam rex plures. Ille vero nullatenus voluit. Dix-
erat enim sicut visum fuerat sibi multas. Ad hec rex
plurimas narrasti sed brevissimas. Velle vero te ali-
quam narrare que multis producatur verbis. et sic te dormi-
re permittam Concessit fabulator et sic incepit
Erat quidam rusticus erat quidam rusticus qui mille
solidos habuit. hic autem in negociatione proficiscens
comparavit bis mille oves. singulas sex denarii
Accidit eo redeunte quod magna inundatio aquarum
succresceret qui cum nec per pontem nec per vadum transire posset
abiit sollicitus querens quo cum ovibus suis transvehi
posset Invenit tandem naviculam que non nisi duas
oves. una cum rustico ferre valebat Sed tandem necessi-
tate cohactus duas oves imponens aquam transiit.
his dictis fabulator obdormivit Rex quidem illum
excitans. ut fabulam quam inceperat finiret commo-
nuit. fabulator ad hec fluctus ille magnus est
navicula autem minima. et grex ovium innumerabilis
Permitte ergo predictum rusticum suas transferre oves